

Epigraphisches.

Claudianum.

Quod cum de grammaticis Claudi inventis scriberem confidere me dixi eis quae p. 18 sq. collegi litterae exemplis alia additum iri, id uno exemplo eoque certissimo confirmare iam licet. Henzeni enim epistula amicissima doctus sum in inscriptione maioris extra portam Latinam columbarii

quam ex apographis Braunii et Campanae Lahnius specim.
epigr. p. 42 n. 157 edidit:

DIS · MANIBVS
HEVRESINIS V·A·XVI
STEPHANVS GLICONIS
PROCVRATORIS
CONIVGI · BENE MERENTI
FECIT ET SIBI

v. 3 non GLICONIS sed GLICONIS legendum esse.

Praeterea AI diphthongi a Claudio inductae exemplis p. 20 sq. congestis ex appendice Henzenianae inscriptionum collectionis duo tituli iam adiungendi sunt quos in villa Pamphilia Huebnerus descriptis:

7420 a qq.

PAETINV
TI · CLAVD
CAISAR · AVG
CORP · CVST
DEC · PACATI
NAT · BATAVS
VIX · ANN · XX
H S E
POS · VIRVS · DEC · PACATI
HEIVS EX · COL · GERMA

et 7420 a ss.

POSTVMVS
TI CLAVDI
CAISAR · AVG
CORPOR · CVST
DEC · SYNEROTIS
NAT VBIVS
VIX AN XXV
H S E
POS CAPITO DEC
SYNEROTIS HER · EIVS
EX · COL · GERM

Videmus igitur ne illos quidem milites, Claudi corporis custodes, inventa Caesaris adscivisse nisi in ipso imperatoris nomine. Neque nunc praetermittam quam consulto olim praetermisi inscriptionem Orellianam 3538 in via Aurelia repertam:

ALCIMACHVS
NERONIS CLAVD
CAISAR · AVG · GER
CORPOR · CVST
DEC · ALBANI

NAT·BATAVS
VIX·ANN·XXXV
H·S·E·POSVIT
BATAVVS DEC·MONTANI
HER·EIVS·EX·COLL·GER.

Nam nimis obstinato me animo fuisse, cum p. 26 sq. potuisse
etiam post Clodium mortuum non nullis litteras eius placere
negarem, dudum ipse intellexi.

Bonnae.

F. Buecheler.